Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia moralis - Cod. Aug. pap. 90

Johannes <Guallensis>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Contra prudentem pro insipietente

urn:nbn:de:bsz:31-75868

Visual Library

tare cum aut dicit quod summa res ista non esse nequeat cogitari, melius
fortasse diceretur: Quod non esse aut etiam posse non esse non possit intelligi.
Nam secundum proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi quae possunt utique eo
modo cogitari quo deum non esse insipiens cogitavit. Et me quoque esse certissime
scio, sed et posse non esse nihilominus scio. Summum vero illud quod est, scilicet deus, et esse
et non esse non posse indubitanter intelligo. Cogitem autem me non esse
quamdiu esse certissime scio. Nescio utrum possim; sed si possum, cur non
et quidquid aliud eadem certitudine scio? Si autem non possum, non erit iam
proprium istud deo. Cetera libelli eius tam veraciter et tam praeclare sunt
magnificeque disserta, tanta denique referta utilitate et pii ac sancti affectus
intimo quodam odore fragrantia, ut nullo modo propter illa quae in initiis
recte quidem sensa sed minus firmiter argumentata sunt, ista sint contemnenda,
sed illa potius argumentanda robustius, ac sic omnia cum ingenti veneratione
et laude suscipienda.

Incipit contra prudentem pro insipiente

Quoniam non me reprehendit in his dictis ille insipiens contra quem
sum locutus in meo opusculo, sed quidam non insipiens et catholicus
pro insipiente, sufficere mihi potest respondere catholico. Dicis quidem, quicumque es qui dicis
hoc posse dicere insipientem, quod non est in intellectu aliquid quo maius cogitari non
possit aliter quam secundum veritatem cuius rei nequeat saltem cogitari, et quod
non magis consequitur hoc quod dico quo maius cogitari non possit ex eo quod est
in intellectu esse et in re, quam perditam insulam certissime existere ex eo quod cum
descripta verbis audiens eam non ambigit in intellectu suo esse. Ego vero dico:
si quo maius cogitari non potest non intelligitur vel cogitatur nec est in intellectu
vel cogitatione, profecto deus aut non est quo maius cogitari non possit,
aut non intelligitur vel cogitatur et non est in intellectu vel cogitatione. Quod
quam falsum sit, fide et conscientia tua pro firmissimo utor argumento. Ergo quo maius
cogitari non potest vere intelligitur et cogitatur et est in intellectu et cogitatione.
Quare aut vera non sunt quibus contra conaris probare, aut ex eis non
consequitur quod te consequenter opinaris colligere. Quod autem putas ex eo quod intelligitur
aliquid quo maius cogitari nequit non consequi illud esse in intellectu, nec si est in
intellectu ideo esse in re: Certe ego dico: si vel cogitari potest esse, necesse est
illud esse. Nam quo maius cogitari nequit non potest cogitari esse nisi sine
initio. Quidquid autem potest cogitari esse et non est, per initium potest cogitari
esse. Non ergo quo maius cogitari nequit cogitari potest esse et non esse. Si er-
go cogitari potest esse, ex necessitate est. Amplius: si utique vel cogitari potest, necesse est

illud esse. Nullus enim negans aut dubitans esse aliquid quo maius cogitari non possit, negat vel dubitat quia si esset nec actu nec intellectu posset non esse. Alioquin maius non esset quo maius cogitari non posset. Sed quidquid cogitari potest et non est, si esset posset vel actu vel intellectu non esse. Quare si vel cogitari potest, non potest non esse quo maius cogitari nequit. Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet. At quidquid cogitari potest et non est, si esset non esset quo maius cogitari non possit, quod nimis est absurdum. Falsum est igitur non esse aliquid quo maius cogitari non possit, si vel cogitari potest. Multo utique magis si intelligi et in intellectu esse potest. Plus aliquid dicam. Procul dubio quod alicubi aut aliquando non est, etiam si est alicubi aut aliquando, potest tamen cogitari numquam et nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Nam quod heri non fuit et hodie est, sicut heri non fuisse intelligitur, ita numquam esse subintelligi potest. Et quod hic non est et quod alibi est, sicut non est hic, ita potest cogitari nusquam esse. Similiter cuius partes singulae non sunt ubi aut quando sunt aliae partes eius, omnes partes et ideo ipsum totum possunt cogitari numquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse et mundus ubique, non tamen illud totum semper aut iste totus est ubique. Et sicut singulae partes temporis non sunt quando aliae sunt, ita possunt numquam esse cogitari, et singulae mundi partes sicut non sunt ubi aliae sunt, ita subintelligi possunt nusquam esse. Sed et quod partibus coniunctum est, cogitatione dissolvi et non esse potest. Quare quidquid alicubi aut aliquando totum non est, et si est, potest cogitari non esse. At quo maius nequit cogitari, si est, non potest cogitari non esse. Alioquin si est, non est quo maius cogitari non possit, quod non convenit. Nullatenus ergo alicubi aut aliquando totum non est, sed semper et ubique totum est. Putasne aliquatenus posse cogitari vel intelligi aut esse in cogitatione vel intellectu de quo haec intelliguntur? Si enim non potest, non de eo possunt haec intelligi. Quod si dicis non intelligi et non esse in intellectu quod non penitus intelligitur, dic quia qui non potest intueri purissimam lucem solis non videt lucem diei, quae non est nisi lux solis. Certe vel hactenus intelligitur et est in intellectu quo maius cogitari nequit, ut haec de eo intelligantur. Dixi itaque in argumentatione quam reprehendis, quia cum insipiens audit proferri quo maius cogitari non potest, intelligit quod audit. Utique qui non intelligit si nota lingua dicitur, aut nullum aut nimis obrutum habet intellectum. Deinde dixi quia si intelligitur, est in intellectu. An est in nullo intellectu quod necessario in rei veritate esse monstratum est? Sed dices quia etsi est in intellectu, non tamen consequitur quia intelligitur. Vide quia consequitur esse in intellectu ex eo quia intelligitur.

Sicut enim quod cogitatur cogitatione cogitatur, et quod cogitatione cogitatur sicut cogitatur sic est in cogitatione, ita quod intelligitur intellectu intelligitur, et quod intellectu intelligitur sicut intelligitur ita est in intellectu. Quid hoc planius? Postea dixi quia si est vel in solo intellectu potest cogitari esse et in re quod maius est. Si ergo in solo est in intellectu idipsum scilicet quo maius non potest cogitari, est quo maius cogitari potest. Rogo quid consequentius? Nam enim si est vel in solo intellectu, nonne potest cogitari esse et in re? Et si potest, nonne qui hoc cogitat aliquid cogitat maius eo si est in solo intellectu, idem esse quo maius cogitari possit? Et utique quo maius cogitari potest in nullo intellectu est quo maius cogitari non possit. Annon ergo consequitur quo maius cogitari nequit, si est in ullo intellectu, non est in solo intellectu? Si enim est in solo intellectu, est quo maius cogitari potest, quod non convenit. Sed idem est, inquis, ac si aliquis insulam oceani omnes terras sua fertilitate vincentem quam difficultate immo impossibilitate inveniendi quod non est perditam vocant, dicat ideo non posse dubitari vere esse in re quia verbis descriptam facile quis intelligit. Fidenter loquor quia si quis invenerit mihi aut re ipsa aut sola cogitatione existens praeter quo maius cogitari non possit, cui aptare valeat connexionem huius meae argumentationis, inveniam et dabo illi insulam perditam amplius non perdendam. Palam autem iam videtur quod non valet cogitari maius non posse cogitari non esse, quod tam certae rationis veritate existit. Aliter enim nullatenus existeret. Denique si quis dicit se cogitare illud non esse, dico quia cum hoc cogitat aut cogitat aliquid quo maius cogitari non possit aut non cogitat. Si non cogitat, non cogitat non esse quod non cogitat. Si vero cogitat, utique cogitat aliquid quod nec cogitari possit non esse. Si enim posset cogitari non esse, cogitari posset habere principium et finem. Sed hoc non potest. Qui ergo illud cogitat, aliquid cogitat quod nec cogitari non esse possit. Hoc vero qui cogitat, non cogitat idipsum non esse. Alioquin cogitat quod cogitari non potest. Non igitur potest cogitari non esse quo maius nequit cogitari. Quod autem dicis quia cum dicitur quod summa res ista non esse nequeat cogitari, melius fortasse diceretur quod non esse aut etiam posse non esse non possit intelligi, potius dicendum fuit non posse cogitari. Si enim dixissem rem ipsam non posse intelligi non esse, fortasse tu ipse qui dicis quod secundum proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi, obiceres nihil quod est posse intelligi non esse. Falsum est enim non esse quod est. Quare non esset proprium deo non posse intelligi non esse. Quod si aliquid eorum quae certissime sunt potest intelligi non esse, similiter et alia certa non esse possunt intelligi. Sed hoc utique non potest obici de cogitatione, si bene consideretur. Nam et si nulla quae sunt possint intelligi non esse, omnia tamen possunt cogitari

non esse. Praeterea illud quod summe est, illa scilicet quae omnia et sola possunt cogi
tari non esse quae initium aut finem aut partium habent coniunctionem, et sicut iam
dixi quidquid alicubi aut aliquando totum non est; illud vero solum non potest cogitari non esse
in quo nec initium nec finem nec partium coniunctionem, et quod non nisi semper et ubique
totum ulla invenit cogitatio. Scito igitur quia potes cogitare te non esse quam
diu esse certissime scis, quod te miror dixisse nescire. Multa namque cogitamus
non esse quae scimus esse, et multa esse quae non esse scimus, non existimando sed fingendo
ita esse ut cogitamus. Et quidem possumus cogitare aliquid non esse quamdiu
scimus esse, quia simul et illud possumus et istud scimus. Et non possumus cogitare
non esse quamdiu scimus esse, quia non possumus cogitare esse simul et non esse.
Si quis igitur sic distinguat huius prolationis has duas sententias, intelliget
nihil quamdiu esse scitur posse cogitari non esse, et quidquid est praeter id quo maius
cogitari nequit, etiam cum scitur esse, posse non esse cogitari. Sic igitur et proprium est deo
non posse cogitari non esse, et tamen multa non possunt cogitari quamdiu sunt non esse.
Quomodo autem dicatur cogitari deus non esse, in ipso libello puto sufficienter esse dictum.
Qualia vero sunt et alia quae mihi obicis pro insipiente, facile est deprehendere vel
parum sapienti, et ideo id ostendere supersedendum existimaveram. Sed quoniam audio
quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri, pauca de illis commemorabo.
Primum quod saepe repetis me dicere quia quod est maius omnibus est in intellectu, si est in intellectu
est et in re; aliter enim omnibus maius non esset omnibus maius; nusquam in omnibus
dictis meis invenitur talis probatio. Non enim idem valet quod dicitur maius omnibus
et quo maius cogitari nequit ad probandum quia est in re quod dicitur. Si quis enim
dicat quo maius cogitari non possit non esse aliquid in re, aut posse non esse
aut etiam non esse posse cogitari, facile refellitur. Nam quod non est potest non
esse, et quod non esse potest cogitari potest non esse. Quidquid autem cogitari potest non esse,
si est, non est quo maius cogitari non possit. Quod si non est, utique si esset
non esset quo maius non possit cogitari. Sed dici non potest quia quo maius possit
cogitari, si est, non est quo maius cogitari non possit; aut si esset, quo non possit
cogitari maius. Patet ergo quia nec non est nec potest non esse aut cogitari non esse.
Aliter enim si est, non est quod dicitur; et si esset, non esset. Hoc autem non ita facile probari
posse videtur de eo quod maius dicitur omnibus. Non enim ita patet quia quod potest non esse cogitari
potest non est maius omnibus quae sunt, sicut quia non est quo maius cogitari non
possit. Nec sic est indubitabile quia si est aliquid maius omnibus, non est aliud quam
quo maius non possit cogitari, aut si esset, non esset similiter aliud quod tale est

deo quod dicitur quo maius cogitari nequit. Si enim si quis dicat esse aliquid maius
omnibus quae sunt et idem ipsum tamen posse cogitari non esse et aliquid maius eo etiam
si non sit posse cogitari, non tamen sic aperte inferri potest: Non est ergo maius cogitari
neque omnibus quae sunt, sicut ibi apertissime dicitur: ergo non est quo maius
cogitari nequit. Illud namque alio indiget argumento quam hoc quod dicitur omnibus maius;
in isto vero non est opus alio quam hoc ipso quod sonat quo maius cogitari non possit.
Et si non similiter potest probari de eo quod maius omnibus dicitur quod de se per se ipsum
dicit probat quo maius nequit cogitari cognoscitis. Nullatenus enim potest in-
telligi quo maius cogitari non possit nisi id quod solum omnibus est maius.
Sicut ergo quo maius cogitari nequit intelligitur et est in intellectu et ideo esse
in rei veritate asseritur, sic quod maius dicitur omnibus intelligitur et esse in
intellectu et ideo re ipsa esse ex necessitate concluditur. Vides ergo quam recte me comparasti
stulto illi qui hoc solo quod descripta intelligeretur perditam insulam esse vellet
asserere. At quod aliqua qualibet falsa vel dubia similiter posse intelligi et esse
in intellectu quemadmodum dixi, quod dicebam miror quid hic sensisti contra me
dubium probare volentem, cui primum hoc satis erat ut quolibet modo illud intelligi
et esse in intellectu ostenderem, quatenus consequenter consideraretur utrum esset in
solo intellectu velut falsa an et in re ut vera. Nam si falsa et dubia hoc modo
intelliguntur et sunt in intellectu, quia cum dicuntur audiens intelligit quid dicens
dicit, nihil prohibet quod dixi intelligi et esse in intellectu. Sed quomodo sibi con-
veniunt quod dicis quia falsa dicente aliquo quaecumque ille diceret intelligeres, et quia
illud quod non eo modo quo etiam falsa habetur in cogitatione non dicens auditum
cogitare aut incogitare, sed intelligere et in intellectu habere, quia scilicet non
possis hoc aliter cogitare nisi intelligendo, id est scientia comprehendendo re ipsa illud
existere? Quomodo inquam conveniunt et falsa intelligi et intelligere esse scientia comprehendere existere
ipse aliquid? Nihil ad me, tu videris. Quod si et falsa aliquo modo intelliguntur et non
omnis sed cuiusdam intellectus est ista definitio, non debui reprehendi quia dixi
quo maius cogitari non possit intelligi et in intellectu esse, etiam antequam certum
esset re ipsa illud existere. Deinde quod dicis vix umquam posse esse credibile cum
dictum et auditum fuerit, illud non eo modo posse cogitari non esse quo etiam potest
cogitari non esse deus, respondeant pro me qui vel parum scientiam disputandi et argu-
mentandi attigerunt. Nam an rationabile est ut ideo neget aliquis quod intelligit,
quia esse dicitur idem illi quod ideo negat quia non intelligit? Aut si aliquando negat quod aliquatenus
intelligit et idem est illi quod nullatenus intelligit, nonne facilius probatur
quod dubium est de isto quod in aliquo quam de eo quod in nullo est intellectu? Quare nec credibile

potest esse. Ideo quilibet negare quo maius cogitari nequit quod auditum aliquatenus
intelligitur, quod negat deum cuius sensum nullo modo cogitat aut si illud quod
non omnino intelligi negat. Nonne tamen facilius id quod aliquo modo quam id quod nullo modo intelligitur
probat non esse? Non ergo irrationabiliter contra insipientem ad probandum deum esse attuli quo maius
cogitari non possit, cum illud nullo modo, illud aliquo modo intelligeret. Quod non tantum studio
se probas quo maius cogitari nequit non tale esse qualis nondum facta pictura in
intellectu pictoris, sine causa fit. Non enim ad hoc protuli picturam praecogitatam ut tale
illud de quo agebatur vellem asserere, sed tantum ut aliquid esse in intellectu quod esse
non intelligeretur possem ostendere. Item quod dicis quo maius cogitari nequit secundum
rem vel ex genere tibi vel ex specie notam te cogitare auditum vel in intellectu habere non
posse, quia nec ipsam rem nosti nec eam ex alia simili potes conicere: palam
est rem aliter sese habere. Quoniam namque omne minus bonum in tantum est simile
maiori bono inquantum est bonum, patet cuilibet rationali menti quia de bonis minoribus
ad maiora conscendendo ex iis quibus aliquid maius cogitari potest multum possumus
conicere illud quo nihil potest maius cogitari. Quis enim verbi gratia vel hoc
cogitare non potest, etiam si non credat in re esse quod cogitat, scilicet si bonum est
aliquid quod initium et finem habet multo melius esse bonum quod licet incipiat tamen non
desinit? Et sicut istud illo melius est, ita isto esse melius illud quod nec finem habet
nec initium. Etiam si semper de praeterito per praesens transeat ad futurum, et sive sit in
re aliquid huiusmodi sive non sit, valde tamen eo melius esse id quod nullo indiget
nec cogitur mutari vel moveri? An hoc cogitari non potest? Aut aliquid hoc maius
cogitari potest? Aut non est hoc ex iis quibus maius cogitari valet conicere
id quo maius cogitari nequit? Est ergo unde possit conici quo maius cogitari ne-
queat. Sic itaque facile refelli potest insipiens qui sacram non auctoritatem
non recipit, si negat quo maius cogitari non valet ex aliis rebus conici
posse. At si quis catholicus hoc neget, meminerit quia invisibilia dei a
creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna
quoque eius virtus et divinitas. Sed et si verum esset non posse cogitari vel
intelligi illud quo maius nequit cogitari, non tamen falsum esset quo maius cogitari
nequit cogitari posse et intelligi. Ut enim nil prohibet dici ineffabile licet
illud dici non possit quod ineffabile dicitur, et quemadmodum cogitari potest non
cogitabile quamvis illud cogitari non possit cui convenit non cogitabile dici, ita
cum dicitur quo nil maius valet cogitari, procul dubio quod auditur et intelligi potest
etiam si res illa cogitari non valeat aut intelligi qua maius cogitari nequit

Nam et si quisquam est tam insipiens ut dicat non esse aliquid quo maius non possit cogitari non tamen ita erit impudens ut se dicat non posse intelligere aut cogitare quid dicat aut si quis talis invenitur non modo sermo eius est respuendus sed et ipse conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid esse quo maius nequeat cogitari utique intelligit et cogitat negationem quam facit. Quam negationem intelligere aut cogitare non potest sine partibus eius. Pars autem eius est quo maius cogitari non potest. Quicumque igitur hoc negat intelligit et cogitat quo maius cogitari nequit. Palam autem est quia similiter potest cogitari et intelligi quod non potest non esse. Maius vero cogitat qui hoc cogitat quam qui cogitat quod possit non esse. Cum ergo cogitatur quo maius non possit cogitari si cogitatur quod possit non esse non cogitatur quo non possit cogitari maius. Sed nequit idem simul et non cogitari. Quare qui cogitat quo maius non possit cogitari non cogitat quod possit sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse quod cogitat quia quidquid non esse potest non est quod cogitat.

Puto quia monstravi me non infirma sed satis necessaria argumentatione probasse in prefato libello re ipsa existere aliquid quo maius cogitari non possit nec eam alicuius obiectionis infirmari firmitate. Tantam enim vim huius probationis in se continet significatio ut hoc ipsum quod dicitur ex necessitate eo ipso quod intelligitur vel cogitatur et revera probetur existere et idipsum esse quidquid de divina substantia oportet credere. Credimus namque de divina substantia quidquid absolute cogitari potest melius esse quam non esse. Verbi gratia melius est esse eternum quam non eternum bonum quam non bonum immo bonitatem ipsam quam non ipsam bonitatem. Nihil autem huiusmodi non esse potest quo maius aliquid cogitari non potest. Necesse igitur est quo maius cogitari non potest esse quidquid de divina essentia credi oportet. Gratias ago benignitati tue et in reprehensione et in laude mei opusculi. Cum enim ea que tibi digna susceptione videntur tanta laude extulisti satis apparet quia que tibi infirma visa sunt benevolentia non malivolentia reprehendisti.

Finitur contra predictum

Tres tractatus pertinentes ad studium sacre scripture quondam feci diversis temporibus consimiles in hoc quia facti sunt per interrogationem et responsionem et persona interrogantis nomine notatur discipuli respondentis vero nomine magistri. Quartum enim quem simili modo edidi non inutilem ut puto introducendis ad dyalecticam cuius initium est De grammatico quia ad diversum ab his tribus studium pertinet istis nolo connumerare. Unus horum est De veritate quid scilicet sit veritas et in quibus rebus soleat dici et quid sit iustitia. Alius De libertate arbitrii quid sit et utrum eam semper habeat homo et que sint eius

diversitates in habendo vel non habendo rectitudinem voluntatis ad quam servandam est data creaturae rationali in qua naturalem tantum fortitudinem voluntatis ad servandam acceptam rectitudinem non quo modo necesse est ad hoc ut illi sic ut gratia subsequatur ostendi. Tertius autem est de quaestione qua quaeritur quid peccavit diabolus quia non stetit in veritate cum deus non dedit ei perseverantiam quam nisi eo dante habere non potuit quoniam si deus dedisset ille habuisset sicut boni angeli illam habuerunt quia dedit illis deus. Quem tractatum quamvis de confirmatione bonorum angelorum dixerim de casu diaboli titulavi quia illud consequens fuit quod dixi de bonis angelis quod autem de malis scripsi quaestio fuit proposita. Quos vero tractatus quamvis nulla continuatione dictaminis cohaereant materia tamen eorum et similitudo disputationis exigit ut simul eo quo illos commemoravi ordine conscribantur. Licet itaque quibusdam festinantibus alio sint ordine transcripti antequam perfecti essent sic tamen eos ut hic posui volo ordinari.

Quod veritas non habeat principium vel finem. De significationis veritate et de diversis veritatibus enuntiationis. De opinionis veritate. De voluntatis veritate. De actionis naturalis et non naturalis veritate. De sensuum veritate. De veritate essentiae rerum. De diversis intellectibus debere et non debere, posse et non posse. Quod omnis actio significet verum aut falsum. De summa veritate. De diffinitione veritatis. De iustitiae diffinitione. Quod una sit veritas in omnibus veris.

Incipit liber de veritate

Quoniam deum veritatem esse credimus et veritatem in multis aliis dicimus esse vellem scire an ubicumque veritas dicitur deum eam esse fateri debeamus. Nam et tu in Monologio tuo per veritatem orationis probas summam veritatem non habere principium vel finem dicens: Cogitet qui potest quando incepit aut quando non fuit hoc verum scilicet quia futurum erat aliquid aut quando desinet et non erit hoc verum scilicet quia praeteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest et utrumque hoc verum sine veritate esse non potest impossibile est vel cogitare quod veritas principium aut finem habeat. Denique si veritas habuit principium aut habebit finem antequam ipsa inciperet verum erat tunc quia non erat veritas atqui verum non potest esse sine veritate. Erat igitur veritas antequam esset veritas. Et erit veritas postquam finita erit veritas quod inconvenientissime dicitur. Sive igitur dicatur veritas habere sive intelligatur non habere principium vel finem nullo claudi potest veritas principio vel fine. Hoc tu in Monologio tuo. Quare quid sit veritatis diffinitionem a te discere expecto. Ego non memini me invenisse diffinitionem veritatis. Sed si vis quaeramus per diversitates rerum in quibus veritatem dicimus esse